Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Stephanōmata Sponsi Et Sponsae Explicat Simvlqve ... Georgio Christiano Ibbeken Scholae Regiae Oldenb. Conrectori Nvptias Cvm Sorore Sva Lectissima Sophia Elisabet A. D. XI. Cal. Ivn. A. O. R. ...

Bosseck, Johann Gottlieb


Lipsiae, 1740

VD18 14850281

urn:nbn:de:gbv:45:1-308682

Visual Library

Landesbibliothek Oldenburg



Stephanomata

7

ΣΤΕΦΑΝΩΜΑΤΑ,
SPONSI ET SPONSAE
EXPLICAT

SIMVLQVE

VIRO

PRAECLARISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

DOMINO

M. GEORGIO CHRISTIANO IBBEKEN

SCHOLAE REGIAE OLDENB. CONRECTORI

NVPTIAS

CVM

SORORE SVA LECTISSIMA

SOPHIA ELISABET

A. D. XI. CAL. IVN. A. O. R. MDCCXL.

CELEBRATAS

GRATVLATVR

J. G. M. BOSSECK

LIPS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Landesbibliothek Oldenburg

THEOREMATA
SPONSI ET SPONSAE
EXPLICAT

SIMVLQVE
VIRO
PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO
DOMINO
M. GEORGIO CHRISTIANO
IBBEKEN
SCHOLAE NOVAE ORDIN. CONSECTOTI
NVPTIAS
CVM
SOROR SVA LECTISSIMA
SOPHIA ELISABET
A. D. II. CALENDAS OCTOBR. MDCCXI.
CELEBRATAS
GRATVLATVR
M. IOSSELIN
LIPS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

VIR

PRAECLARISSIME ATQVE AMPLISSIME, AMICE HONORATISSIME,

Diuinis cum auſpiciis TIBI VIR PRAECLARISSIME, nuptiae hodie parentur, et mos ab antiquis receptus, et amicitia quae inter nos hactenus interceſſit, et affinitatis vinculum quod hodie nectitur, votiua mente plauſus acclamare iuſſit. Cumque materia ſeligenda fuerit, ab hodierna hilaritate non plane aliena, mihi de caeremoniis meditanti, quae in nuptiis celebrandis apud veteres fuere adhibitae, ritus occurrit, corona cingendi neogamos, et ſolennis veteribus et honorificus. TV autem, SPONSE HONORATISSIME, mihi exorandus es, vt exiguum hocce mei in TE TVAMque CHARISSIMAM SPONSAM, amoris cultusque ſignum benevole accipias, TVAMque mihi amicitiam concedas perpetuam.

Landesbibliothek Oldenburg

§. I.

Prooemium Tam varia, tamque diuersa fuit apud veteres, coronis vtendi ratio, vt nihil fere solennitatis, nec profanae, nec sacrae, nec tristis, nec hilaris, nec publicae, nec priuatae; sine coronis peractum fuerit. Satis hoc virorum doctissimorum demonstrant lucubrationes, quibus et omnem rem coronariam, et quasdam coronas in specie, toties illustrare conati sunt. *) Non infimum certe locum, inter ea, quae coronandi occasionem praebuere, nuptiae merentur. Vix vllus enim ita in vniuersum inualuit ritus, quam ille coronis donandi desponsatos. Graecas pariter ac Romanas si euoluimus antiquitates, non minus quam apud Ebraeos veteresque Christianos eiusdem inuenimus vestigia.

§. II.

*) Nominandus mihi est inprimis CAROLVS PASCHALIVS, qui opus libris X. distinctum conscripsit, quod *Coronas* nuncupauit Lugd. Bat. 1671. Nec silentio praeteriri debet MARTINI SCHMEIZELII *Commentatio historica de Coronis tam antiquis quam modernis, in specie de origine & fatis Coronae regni Hungariae* Ien. 1713. cf. quos laudat B. FABRICIVS in *Bibliographia Antiquaria* autores cap. XIV. §. 13. p. 495. sqq. quibus et addere liceat IOSEPHI LANZONI, Medici Ferrarienſis, *Exercitationem Philologicam de Coronis et Vnguentis in antiquorum conuiuiis*, lingua italica Ao. 1698. editam, et Ao. 1715. ab Hieronymo Baruffaldo itidem Medico Ferrarienſi, in linguam latinam translatam. PROSPERI STELLARTII Lib. III. de *Coronis et Tonſuris Paganorum, Iudaeorum et Chriſtianorum*, Duaci 1615. Et quae in compendio disseruit IO. SAM. LVPPIVS in programmate *de Coronis veterum*, Vitt. 1718. Vt, quae FREYTAGIVS de *coronis conuiualibus*, IO. FR. HECKELIVS, IO. SCHVLTZIVS, FR. CASP. HAGENIVS *de Poëtarum coronis*, aliique de aliis coronarum generibus disseruere, taceam.

Landesbibliothek Oldenburg

§. II.

Graecorum atque Romanorum satis nota est consuetudo quod laetis amantibusque, coronarum vsum tribuerint. Hinc in Veneris sacris corollas maxime adhibuere, Veneremque ipsam coronis decorarunt. OVIDIVS Fastorum IV. v. 863. sqq. de hac consuetudine canit: *Causae huius caeremoniae.*

Numina vulgares Veneris celebrate puellae:
Multa professarum quaestibus apta Venus.
Poscite thure dato formam populique fauorem,
Poscite blanditias, dignaque verba loco.
Cumque sua dominae date grata sisymbria myrto,
Textaque composita iuncea vincla rosa.

Conf. CALLIMACHVM Hymn. in Del. v. 307. sqq. VALER. FLACCVM Argon. L. VI. v. 455. sq. etc. Obscoenum Priapi cultum vt taceam. Non a via igitur me aberraturum esse credo, si aliquam coronarum in nuptiis originem ex hoc amantium ritu deriuarem. Ast magis adhuc fundamentum in eo habere videtur coronatio desponsatorum, quod coronare solenne fuerit, illa, quae honore digna iudicarent. Nonne enim Dii sunt coronati? Nemo Ioui florea, frondea immo metallica denegabit coronamenta; nemo Apollini laurum, Mineruae oleam, Fluuiis Diis arundinem, Vertumno foenum, Lucinae dictamum, Pani pinum, Baccho corymbum, Autumno pomum concedere dubitabit. Immo tanta fuit coronarum aestimatio vt PLINIO Hist. Nat. L.XVI. c.4. testante, *antiquitus nulla nisi Deo daretur.* Triumphantes quoque Imperatores, Regesque diadematibus fuere redimiti. Hancque causam (honorem demonstrandum puto) in coronationibus desponsatorum, locum habere existimo. Qualis enim quantusque honor ipsis exhibeatur, ipsa experientia docet. Primus eis semper et vbiuis conceditur lo-

Landesbibliothek Oldenburg

cus, hocque vel vnicum ſufficiens ſatis eſt honoris, quo excipiuntur, ſignum. Idem adfirmat communis loquendi formula, qua dies deſponſationis et nuptiarum, neogamorum dies honoris, Braut und Bräutigams Ehren-Tag, dicitur. Cf. ZIMMERMANNI Annal. Menſtr. Menſ. II. c. VI. Immo cum vetus IVVENALIS *Interpres* ad verba Sat. VI. v. 79.

Ornentur poſtes et grandi ianua lauro

moneat, *hoc fieri ad illarum honorem*; multo magis coronatio ſponſi et ſponſae hunc in finem fuit inſtituta. cf. RIGALTII Obſeru. ad Tertull. L. II. ad Vxor. c. 6. Immo victoriae ſignum ſerta neogamorum eſſe, CHRYSOSTOMVS Homil. IX. in I. Tim. III. p. 248. teſtatur, quaerens *quid ſibi velint coronae?* reſpondet enim: *vt oſtendant coniuges, ſe vsque ad id tempus victores cupiditatum fuiſſe.*

§. III.

Sponſam coronarunt Graeci.

Innumera fere ſe offerunt veterum teſtimonia, pro huius ritus adfirmatione. Sponſam coronatam eſſe, ſatis Caſſandrae apud EVRIPIDEM, Troad. v. 345. ſq. verba, indicant:

Μᾶτερ ΠΥΚΑΖΕ κρᾶτ' ἐμὸν νικηφόρον,
Καὶ χαῖρε τοῖς ἐμοῖσι βασιλικοῖς γάμοις.

et Clytemneſtrae apud eundem ad Achillem ſermo, Iphig. in Aul. v. 923.

Σοὶ ΚΑΤΑΣΤΕΨΑΣ' ἐγώ νιν ἦγον, ὡς γαμβμένην

conf. Phoeniſſ. v. 792. ſqq.

Ὦ πολύμοχθος Ἄρης, τί πύθ' αἵματι
Καὶ θανάτῳ κατέχῃ, βρομίᾳ παράμβσος ἑόρταις;
Οὐκ ἐπὶ καλλιχόροις στεφάνοισι νεάνιδος ὥραις κ. τ. λ.

HOMERVS etiam de Andromache mortem Hectoris lugente, canit Iliad. X. v. 467. ſqq.

Τῆλε

Τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλόεντα,
Ἄμπυκα, κεκρύφαλόν τ', ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην,
Κρήδεμνόν θ', ὅ ῥά οἱ δῶκε χρυσῆ ἀφροδίτη,
Ἤματι τῷ ὅτε μιν κορυθαίολος ἠγάγετ' ἔκτωρ
Ἐκ δόμε πετίωνος. *)

Et quae alias cauſa eſſet, cur ARTEMIDORVS Onirocrit. I. c. 79. adfirmaſſet, ex palma et olea confectas coronas in ſomnis geſtas, mulierum liberarum nuptias indicare, hocque διὰ τὴν πλοκήν. Ex nuptiali quoque corona, eam, quae inter ſidera ſpectatur, coronam, ortum traxiſſe, ſatis oſtendit HYGINVS Aſtron. Poet. L. II. c. 5. p. 188. edit. Commel. 1589. it. p. 27. 92. ERATOSTHENES Cataſteriſm. V. TERTVLLIANVS de Corona Militis c. 7. et PAMELIVS in h. l. Ariadne nempe eam, cum nuberet Libero, a Venere et Horis accepit, quam dein Bacchus ipſe, aſtris intulit. **) De Romanis idem videre licet ex LVCANO Pharſal. II. v. 358. ſ. *Romani.*

Turritaque premens frontem matrona, corona.
Tralata vetuit contingere limina planta.

et FESTO in voce *Corolla.* MARTIANVS etiam CAPELLA ſic L. IX. in carmine Hymenaei canit:

Conſcia iam Veneris noua ſerta parate Napaeae
Crocumque lecto ſpargite.

§. IV.

*) PASCHALIVS l. c. L. II. c. VI. in voce κρήδεμνος coronam quaerit, aſt recte mihi SELDENVS Vxor. Ebr. L. II. c. XXIII. p. 565. edit. Witt. 1712. monuiſſe videtur, non omnino κρήδεμνον eſſe coronam, ſed potius velamen muliebre, ad humeros pendulum. Mihi ἀναδέσμη coronam ſignificare videtur. Ratione originis, eſt *ſupra ligatum;* ab eademque radice δεω, διάδημα, quod nemo, coronam ſignificare, negabit, originem trahit.

*) Varias quas alii de hoc ſidere propoſuere ſententias cf. apud Celeb. WOLFFIVM in Lexico Mathematico p. 495.

Landesbibliothek Oldenburg

§. IV.

Idem honor sponso exhibebatur.

Sponsum coronatum esse, satis testatur quidam apud LIBANIVM Declam. 8. loquens. Sic enim fatur: Quid de nuptialibus ritibus omisi? nonne taedas accendi? οὐκ ἐστεφανωσάμην; BION hinc in epitaphio Adonidis, ruptam esse dicit coronam nuptialem his verbis:

Αὐτὰν τὰν κυθέρειαν ἐπαιάζεσιν Ἔρωτες.
Ἔσβεσε λαμπάδα πᾶσαν ἐπὶ Φλιασῖς ὑμεναίος,
Καὶ στέφος ἐξεπέτασσε γαμήλιον.

PHILOSTRATVS quoque in Heroicis, Achillem coronatum mortuum esse, vt solent sponsi, tradit. PLVTARCHVS εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον p. 789. Tom. II. edit. Guil. Xylandri Francof. 1620. senem sistit γαμεῖν παρασκευαζόμενον γέροντα ΕΣΤΕΦΑΝΩΜΕΝΟΝ καὶ μυριζόμενον. *Idem* de Pompeio T.I. p. 648. dicit ὁ δὲ στεφανῶται καὶ θύει γάμους. Nec silentio praeteriri debent quae Orat. I. de Fortitud. et Virtut. Alexandri T.II.p.329. narrat. Alexandrum scilicet centum ex Persia sponsas, totidemque Macedones et Graecos sponsos, communibus penatibus mensaeque eidem adhibuisse. Primus tunc ipse, pergit Plutarchus, serto redimitus hymenaeum orsus, tanquam cantilenam amoris mutui testem accinens, maximas et potentissimas gentes in communitatem conduxit &c. Cum his adductis testimoniis, ea quae ARISTIDES in Epic. Eteon. habet, conueniunt, hunc enim in modum verba facit: ὦ νυμφίε τ' ἐλεεινότερος ἄρτι καομένε, καὶ στεφάνοις μᾶλλον πρέπων ἢ θρηνεῖν. TERTVLLIANVS de Corona Milit. c. 13. *Coronant et nuptiae*, inquit, *sponsos*. Exemplum etiam coronati sponsi apud PLAVTVM Casin. Act. IV. sc. I. v. 9. sq. inuenimus

Villicus hic autem cum corona candide
Laute vestitus, exornatusque ambulat.

cf. ZONARAM Annal. T. I. p. 110. edit. Basil. 1557. Hinc et

ZENO-

Landesbibliothek Oldenburg

ZENOBIVS ſ. ZENODOTVS Grammaticus apud ANDR. SCHOTTVM in Graecorum Adagiis Cent. XIII. n. 81. p. 491. Prouerbium νυμφίᾳ βίον ὑμεῖς ζῆτε, ita illuſtrat: οἱ γαμοῦντες ἐξέφοντο σισύμβροις καὶ φυτοῖς τισι πρὸς τῶν γάμων ἡμέραις. Immo nec a Romanis hunc abfuiſſe morem, Vetus apud CICERONEM de Orat. L. 3. fin. Poeta teſtatur; verba eius ſunt:

Sed mihi cum detulit coronam ob collocandas nuptias
Tibi ferebat, cum ſimulabat ſeſe alteri dare,
Tum ad te ludibunda docte, et delicate detulit.

et CATVLLVS Carm. LXII. v. 6. canit:

Cinge tempora floribus.

Habetur quoque apud ADOLPHVM OCCONEM Imp. Rom. Numiſm. p. 223. Adriani Auguſti numus, cuius parte altera CONIVGIVM AVG. altera M. P. T. NOB. in corona quadam, quae ſine dubio nuptialis eſt, legitur.

§. V.

Abunde certe ex dictis patet, coronatos eſſe a Graecis et Romanis deſponſatos. Quales nunc fuerint coronae, diſpiciendum erit. Floreas fuiſſe, CATVLLVS docet ſupra citatis verbis: *Quales hae fuerint coronae.*

Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci.

cf. DIETERICI Antiq. Rom. c. 8. STRABONE L. III. monente, Luſitani roſeas adhibebant. Ex Siſymbro factas docet ARISTOPHANES Scholiaſtes. Ille enim cum *in Auibus* dixerat, aues in hortis paſcere alba ſeſama, myrta, papauera, et ſiſymbria, reſpondet Euelpis:

Ὑμεῖς μετὰ ἅρα ζῆτε Νυμφίων βίον.

Scholiaſtes autem monet, Siſymbria eſſe φύλλα οἷς ἐστεφανῶντο οἱ Νύμφιοι. In Boeotia ſponſam coronatam eſſe Aſpharagonia PLVTARCHVS Coniug. Praec. T. II. p. 138. tradit. Oliuae vſus ex SIDONIO APOLLINARI Carm. XV. v. 198. eluceſcere

ſcere videtur. Coronam auream ZONARAS Annal. T.I. p.110. memorat. Ex auro qnoque Ariadnes corona confecta eſſe dicitur, ſupra citati quod docent ſcriptores et CATVLLVS LXVII. v. 60. ſqq.

Scilicet in vario ne ſolum limite coeli
Ex Ariadnaeis aurea temporibus
Fixa corona foret.

Duplicem demum nuptialem fuiſſe coronam, ad VALERII FLACCI VIII, 235. verba:

- - - Ipſa ſuam duplicem Cytherea Coronam
Donat, et arſuras alia cum virgine gemmas

commentatores monent. cf. LAMP. ALARDI Comment. in h.l. TVRNEBII Aduerſ. L. XXIX. c. 4. MADERVM l. c. p. 33. Videntur huic quoque ſententiae fauere, quae CLAVDIANVS de Nupt. Hon. et Mariae v. 201. ſq. canit:

Tu feſtas Hymenaee faces; tu Gratia flores
Elige, tu geminas concordia necte coronas.

Verum ſi quid mihi coniicere licet, potius ſe probat PASCHALII l. c. L. III. c. VI. p. 153. explicatio, Venerem capite geſtaſſe coronam διδυμόχροον ex vtraque roſa candida et rubra contextam, huncque Valerianorum verſuum eſſe ſenſum, vt Veneris coronam duplicem dicat, ob vtriusque coloris mixturam. Claudiani autem carmen quod attinet, videtur altera corona nuptialis, altera regia intelligenda. De illa v. 170. ſqq. canit, de hac v. 258. Coronarunt autem matres ſponſas, nuptaeque ſponſos, quod ex EVRIPIDIS et ZONARAE locis citatis apparet. Videntur tamen interdum ſe ipſos quoque coronaſſe ſponſi. cf. PLVTARCH. T. II. p. 329.

Qui coronas impoſuerint.

§. VI.

Scriptores ebraei huius coronationis mentionem faciunt.

Nec pauca huius ritus in gente ebraea inuenimus veſtigia. Moris ſcilicet ipſis fuit, referente R. OB. DE BARTENORA in Comment. ad Miſchnae tr. סוטה cap. IX. §. 14. coro-

coronas conficere pro ſponſis ex lapide ſalis *) qui pellucidus eſt inſtar cryſtalli, ſiue lapidis ברולח Depingebant vero eas colore ſulphureo, vti ſunt picturae, quae vocantur נייל Alii vero exponunt coronas myrti et roſarum. Sponſae contra corona aurea figurae ciuitatis erat, quali forma Cybele geſtaſſe coronam fertur, vt monet R. MOSCHE FIL. MAIMON. ad Miſchnae tr. שבת cap. VI. §. I. ad verba בעיר של זהב et ad tr. סוטה l. c. Sunt autem hae coronae, tum ſponſorum, tum ſponſarum, tempore excidii Hieroſolymitani interdictae, quod Miſchna l. c. his docet verbis בפולמוס של אספסינוס גזרו על עטרו' חתנים ועל האירוס בפולמוס של טיטוס גזרו על עטרו' כלות: *Orto bello Veſpaſiani, decreto publico abrogatae ſunt coronae ſponſorum et tympana. Orto bello Titi, cautum de coronis ſponſarum.* Differunt tamen in eo Rabini, quaenam fuerint interdictae coronae aliis affirmantibus coronas ſalis et ſulphuris fuiſſe inter-

 dictas,

*) Quales hae fuerint coronae, cauſamque quare tales coronas adhibuerint Ebraei, WAGENSEILIVS in notis ad Miſchnam ex R. Salomone et MS. quodam docet. Salomo ita fatur ענין עטרה עושין מאבן של מלח שהיא צלול כאבן חברולח וצובעין אותן כמין צייורין בגפריח כשם שעושין בכלי זהב וכסף: *Confecta olim fuit corona, e ſale foſſili, quod cryſtalli inſtar pellucidum eſſe ſolet, in eaque colore ſulphureo varias figuras fuiſſe depictas, plane vti moris eſt vaſa aurea, argenteis, argentea, aureis emblematibus variegare.* Codex autem Wagenſeilii MS. ita habet חטעם לעניין עטרות חתנים מגפריח ומלח יש להזכיר חטא סדום ועמורה ששינו את דרכם בניאוף אשת איש ובמשכב זכור ונעגשו שנעשה ארצם גפריח ומלח וכרי לעורר לבב חחתן שירבק באשתו ולא בשאינו מינו עושים לו כתר ממלח ונפריח *Ratio quare ſponſorum coronae e ſulphure et ſale confectae fuerint, in eo conſiſtit, vt in memoriam iis reuocaretur peccatum Sodomaeorum et Gomorrhaeorum, qui adulteriis et maſculae Veneri ſe totos praepoſtere mancipabant, et ideo eam poenam tulere, ut terra ipſorum in ſal et ſulphur conuerteretur. Ergo corona illa ſalis et ſulphuris monebat ſponſum, ſuae adhaereret vxori, et a peccatis Sodomaeorum ſibi caueret.*

Landesbibliothek Oldenburg

dictas, aliis addentibus Myrteas et Rosaceas, aliis demum et Iunceas non concessas existimantibus. Gemara in locum Mischnae citatum haecce habet אמר רב לא שנו אלא של מלח וגפרית אבל של חדס ושל ירוד מותר ושמואל אמר אף של חדס ושל ורד אסור של קנים ושל חלית מותר ולוי אמר אף של קנים ושל חילת אסור: *Rab opinatur, tantum coronas salis et sulphuris fuisse interdictas, sed Myrteis et Rosaceis licuisse uti. At Samuel dicit, interdictum pertinuisse etiam ad coronas Myrteas et Roseas, concessasque unice fuisse illas, quae ex Cannis, aut Iunco plectebantur. Caeterum Leui etiam has vetitas esse adfirmat.*

§. VII.

Ipsa scriptura de hoc ritu testatur.

Hanc στεφάνωσιν varia quoque Scripturae S. loca probant; Cant. III, 11. coronatio in die nuptiarum memoratur. Es. LXI, 10. ecclesia vera ornamentum suum describit, quod tam splendidum sit, quam sponsi tiara seu corona sacerdotali, redimiti. Ezech. XVI, 12. Summum Numen Iudam populum sub schemate sponsae sistit, omniaque quae ipsi donauerit ornamenta memorat, sub quorum numero, corona non vltimum obtinet locum. Nec III. Maccabaeorum libro, eiusque cap. IV. v. 8. omnem auctoritatem denegare possumus. Dicitur autem ibi, νεογάμους viros accepisse βρόχους ἀντὶ στεφέων. Alia loca in praesenti, tanquam minus clara, vt taceam. cf. SELDENI Vx. Ebr. L. II. c. XV. p. 140. sqq. Non autem perspicere mihi licet, quare TERTVLLIANVS l. c. c. IX. negauerit, coronas apud Ebraeos in vsu fuisse, aliud plane cum loca adducta nos doceant.

§. VIII.

Non sane mirandum est, Christianos quoque Orientales aeque ac Occidentales hunc imitatos esse ritum, quem ab Ebraeis Gentilibnsque obseruari videbant. Non tamen ab incunabulis eius statim coronationis vestigia deprehendimus. Immo

Landesbibliothek Oldenburg

mo TERTVLLIANVS in satis noto *de Corona Militari* libro, totus in eo est, vt omnem coronarum vsum Christianis suspectum reddat. Inprimis c. 2. dicit: Neminem fidelium coronam capite nosse, alias extra tempus tentationis eiusmodi. Omnesque ita obseruasse a catechumenis vsque ad confessores et martyres, vel negatores. Et iterum cap. 13. Coronant et nuptiae sponsos: et ideo non nubimus ethnicis, ne nos ad idololatriam vsque deducant, a qua apud illos nuptiae incipiunt. Et denique c. 14. de foemina haec disputat: Si nudo capite videri non debet propter angelos, multo magis coronato: fortasse tunc illo coronato scandalizauerit. Quid enim est in capite foeminae corona, quam formae lena, &c. Cum Tertulliano facit etiam CLEMENS ALEXANDRINVS in Paedagogo L. II. edit. Colon. 1688. p. 182. abstinentiam enim a coronis omnibus suadet ideo, quod a ratione alienum sit, vt qui audierimus Dominum spinis coronatum, ipsi venerabili Saluatoris passioni per ludum insultantes, habeamus capita redimita floribus. MINVTIO quoque in Octauio suo c. XII. Caecilius paganus obiicit: Non caput floribus nectitis, non corpus odoribus honestatis p. 12. edit. Lugd. Bat. 1645. Tempus igitur, quo hic ritus in ecclesiam sit introductus determinare adeo non possumus licet vere inualuisse eum, constet. cf. MADERVM l. c. p. 43. ANTON. GVBERTVM de sponsalibus §. 34.

In primis Christianissimi temporibus non licuit coronis vti.

§. IX.

Et Orientalem quidem quod attinet ecclesiam, constat distinctionem in illa factam esse inter ἀκολαθείαν γινομένην ἐπὶ μνήσεροις ἤγεν τᾶ ἀῤῥαβῶνος et inter ἀκολαθείαν τᾶ σεφανώματος. Vtriusque huius caeremoniae circumstantias tradit ARNDIVS in Lexico Antiquitatum Ecclesiasticarum p. 649. sqq. et SELDENVS l. c. p. 169. sqq. SVICERVS in Thes. Eccles. in vocibus ἀῤῥαβών p. 512. σέφανος p. 1016. σεφάνομαι p. 1018. sq. et inprimis GOARVS Eucholog. 390. sqq. HENR. CHRISTOPH. HOCH-

Desponsatos tamen in ecclesia Orientali coronarunt.

Landesbibliothek Oldenburg

MANNVS Commentat. de Benedictione nuptiarum, Altdorfi 1685. p. 222. seqq. In compendio hic quaedam tradere mihi liceat. Peracta scilicet priori caeremonia, nuptias ipsas celebraturi desponsati, s. βελόμενοι στεφανωθῆναι, introeunt in sacrarium faces accensas gerentes, praeit autem sacerdos cum thymiamate et Ps. CXXVIII. recitat, et tunc sequitur ἀκολουθία τῦ στεφανώματος. Psalmi decantantur; plebis incipit δοξολογία; preces Diaconi, συναπτη dictae, audiuntur; aliaeque sacerdotis precationes de sponsorum salute adiiciuntur. His peractis infit sacerdos: σύζευξον αὐτὸς ἐν ὁμοφροσύνη. Στεφάνωσον αὐτὸς εἰς σάρκα μίαν, χαρίσαι αὐτοῖς καρπὸν κοιλίας εὐτεκνίας ἀπόλαυσιν. Peracta iterum δοξολογία Sacerdos coronas sumens coronat primo sponsum, dicens: coronatur seruus hic Dei N. ancilla Dei hac, in nomine Patris ac Filii ac Spiritus S. Deinde coronat etiam sponsam dicens: coronatur ancilla haec Dei N. seruo hoc Dei, in nomine &c. Ter tunc hanc adhibet benedictionem: Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν δόξῃ καὶ τιμῇ στεφάνωσον αὐτὸς. Legitur deinde Eph. V, 20. sqq. et Ioh. II, 1. sqq. precibusque aliis additis, adfertur commune poculum, cui sacerdos hunc in modum benedicit: καὶ τὸ ποτήριον τὸ κοινὸν τῦτο παρεχόμενον τοῖς συναφθεῖσι πρὸς γάμε κοινωνίαν εὐλόγησον εὐλογίᾳ πνευματικῇ. Seu vt hanc benedictionem exhibet HOCHMANNVS l. c. p. 231. dicit: Deus qui cuncta tua virtute condidisti, qui orbem terrae firmasti, et omnium a te productorum adornasti coronam: poculum etiam hoc in nuptiarum copulam coniunctis praebens, benedic spirituali benedictione, quia benedictum est nomen tuum &c. Et accipit sacerdos poculum commune in manum, terque vtrique sponso et sponsae porrigit, confestimque desponsatos deducens, manuque tenens, in gyrum quasi circumagit cantans sacerdos. Coronas autem Paranymphi a tergo tenent, quas sacerdos denuo cum benedictione capitibus sponsorum imponit, iterumque

eas

Landesbibliothek Oldenburg

eas tollit, et ſponſi coronam auferens ait: Magnificare ſponſe ſicut Abraham, et ſicut Iſaac benedicaris, multipliceris ſicut Iacob, progreſſus in pace, et faciens in iuſtitia praecepta Dei. Cumque ſponſae coronam detrahit, dicit: Et tu ſponſa magnificare ſicut Sara, et laetare ſicut Rebecca, velut Rachel multiplicare, propriae viro condelectata, legis terminos obſeruans, ita enim Deo complacuit. HOCHMANN. l. c. p. 232. Sicque omnis coronandi caeremonia abſoluitur, modo vt adhuc variae preces addantur. Die octauo a nuptiis, *νεόγαμοι* templum adeuntes, coronas ſibi e capite ſolui, cum precibus et eccleſiae benedictione, a ſacerdote contendunt. Vid. A. A. c. c. et METROPHANIS CRITOP. Confeſſ. Cathol. et Apoſtol. Eccleſ. in Oriente c. XII. quam edidit et latine vertitit IO. HORNEIVS. Tradit hic Metrophanes inſimul allegoricam horum rituum ſignificationem.

§. X.

Obtinuit quoque hic ritus in eccleſia occidentali.

In eccleſia Occidentali quinam adhibitus fuerit coronandi modus, licet tam prolixe non pateat, non tamen plane hunc ritum inuſitatum fuiſſe, Saeculo IX. NICOLAI I. Papae Reſp. III. cauſ. XXX. qu. 5. c. III. docet. Inter alias enim quae memorantur ſolennitates, haec quoque verba leguntur: Poſt haec autem de eccleſia egreſſi, *coronas* in capitibus geſtant, quae ſemper in eccleſia ipſa ſunt ſolitae reſeruari. In veteribus quoque liturgiis, referente ARNDIO p. 654. haec occurrit benedictio: Benedic † Domine annulum iſtum et *coronam* iſtam vt ſicut annulus circumdat digitum hominis et corona caput; ita gratia Spiritus S. circumdet ſponſum et ſponſam, vt videant filios et filias vsque ad tertiam et quartam generationem &c. Immo nulla prope eſt inter Chriſtianos natio, quae non ritum coronationis in nuptiis retinuerit, quod ex variis ſcriptoribus docet SCHMEIZELIVS l. c. p. 37.

§. XI.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XI.

Longius haec explicare praeſcripti limites vetant, ad id igitur me accingo, cuius cauſa haec omnia dicta fuere. TV PRAECLARISSIME IBBEKEN nuptias hodie inter parentum benedictiones, amicorum vota, omniumque bonorum plauſus, celebras. Et cui ego lubentius bene precari vellem, quam TIBI SPONSAEQVE TVAE LECTISSIMAE, me ſingulari amore proſecutis, a me tam impenſe amatis, omnis generis felicitate digniſſimis. Vota tamen mea non verbis propriis ſed illis quae adhibuit vetus graeca eccleſia, includam. Pater et Filius et Spiritus S. ſanctiſſima et conſubſtantialis et vitae fons, Trinitas, cuius vna eſt diuinitas et regnum, benedicat vos; et dierum proli-xitatem, foecunditatem, augmentum vitae et fidei vobis exhibeat; omnibusque in terra bonis vos impleat, et promiſſorum bonorum fruitione dignos vos reddat*) ipſius Filii Dei Optumi noſtri Saluatoris interceſſionibus.

*) Cf. HOCHMANN. l. c. p. 232. vltima tamen verba, ita ſunt concepta: Dignos vos reddat interceſſionibus Sanctae Dei genitricis, et omnium Sanctorum. Ex quibus verbis inſimul patet, non ante V. ſaeculum hanc liturgiam eſſe confectam.

Landesbibliothek Oldenburg

Traur-Music

Welche /

Als der Weyland

Hoch-Ehrwürdige und Hoch-Gelahrte Herr /

HERR

M. GERHARDUS COLDEWEY,

Ihro Königl. Majest. zu Dännemarck / Norwegen ꝛc Hoch-meritirter 44. Jahr gewesener Pastor, des Ehrwürdigen Ministerii in beeden Grafschafften Oldenburg und Delmenhorst Senior, wie auch Hoch-ansehnlicher Consistorial-Assessor,

Den 12. Januarii des jetzlauffenden 1707. Jahres Christ-üblichen Gebrauch nach zu seiner Ruhe-Stelle begleitet wurde /

Abgesungen

Von

Ludolff Adolff Ehren-Hausen /

Cantore hieselbsten

OLDENBURG.

Gedruckt bey Jacob Nicol. Adler / Königl. Dännemärckischen privileg. Buchdrucker. 1707.

Landesbibliothek Oldenburg